

8

IN NÖMINE JESU!

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

De

CULTU DEI RATIONALI

Quam

*Suffragante Celeberrimo Ordine Philosophico in Illustri &
Regia, ad ALIAM Academia.*

PRÆSIDE

HENRICO HASSEL

Eloquentiæ PROFESSORE Reg. & Ordinario.

*Publicæ BONORUM ventilationi, qua decet
modestia submittit*

HENRICUS WALLENBORG

Borca-Fenno.

IN AUDITORIO MAXIMO, ad diem 16. Nouemb.
ANNO restauratæ salutis MDCCXXXVII.

horis ante meridiem consuetis.

ABOÆ, exc, JOH, KIÆMPE, Reg. Acad. Typogr.

VIRO

Plurimum Reverendo atque Praclarissimo
Mag. HENRICO CARLBORG,
Ecclesiarum, quæ Deo in Närpes / Koréns / Öster-
marck & Börte Nâ colliguntur, PASTORI longe me-
ritissimo & vigilantissimo, ut NUTRITIO libera-
lissimo, ita PATRONO, quæ par est, animi reve-
rentia ad cineres usque colendo.

VIRO

Plurimum Reverendo atque Praclarissimo
Mag. PETRO HALLBERG/
PASTORI Ecclesiarum Civitatis Christinæ & Paro-
chiæ Lappfird & Stor-Nâ vigilantissimo, FAUTO-
RI & EVERGETÆ quovis honore semper
venerando.

VIRO

Plurimum Reverendo atque Doctissimo Domino
Dn. JOHANNI HORTELIO,
Ecclesiæ Cathedralis ABOENSIS FENNICÆ DIA-
CONO PRIMARIO meritissimo, FAUTORI & BE-
NEFACTORI multis nominibus honorando.

IN ANIMI GRATI SIGNUM. ET, OBSERVANTIÆ, IN-
& OFFICIOSE. DAT. DI.

Plurimum Reverendorum Rev. e-

Cultor
HENRICUS

VIRO

Plurimum Reverendo atq; e Praclarissimo

Mag. CAROLO CUSTAVO WERANDER,
PASTORI in Gau' & Garleby & annexis Ecclesiis
dignissimo FAUTORI & BENEFACTORI omni
officiorum, genere jugiter suspiciendo.

VIRO

Plurimum Reverendo atq; Praclarissimo

PASTORI Mag. JACOBO GARVOLIO,
PASTORI Ecclesiarum, quæ Christo in Sijksajoki
colliguntur Dexterrimo, FAUTORI
æstimando.

VIRO

Reverendo atq; Doctissimo Domino

Dn. LAURENTIO HUGONAN
Sacellano in Cronoby & Zeitzjärvi optime merito,
FAUTORI Exoptatissimo.

DIC. UM. HOC. SPECIMEN. ACADEMICUM, REVERENTI R.
CAT. c. DEDICAT.

rendiq; Nominum Vestrorum,

Observantissimu
WALLENBOK G.

Viro Juveni
Morum Literarumque cultura Politissimo,
Dn. HENRICO W. ALLENBORG.
De CULTU DEI RATIONALI.
egregie disserter:

Esse DEUM NATURA docet, docet esse COLENDUM,
Insuper id sensus Numinis atque pro. hat.
Differit hac docto dum WALLENBORGIIUS or.
Exprimit ingenii dona probata sui.
Quo simul & monstrat condigna manere labori
Præmia, quæ dentur deproperata rogo!

Hiscæ amicitia ergo applaudere voluit ac de-
buit, ut occupatissimus potuit.

Christinae Prid. Non. Octobr.
1700 MDCCXXXVII.

OLAUS J. TUNÆUS.
Sacellanus & Pædagog. Civ.
Christin.



Divini Numinis Auxilio!

§. I.

UT ad sequentem tractationem explanemus
viam, in ipso indicamus limine, quid per
Cultum Dei intelligamus. Cultus Dei no-
bis sunt illi actus, quos fuscipimus propter Deum
Eiusque perfectiones. In hac definitione nomi-
nali nihil obscuri occurrit. Quid sit actus omni-
bus constat. Quid sit Deus, quid perfectio-
nes Divinae, à Theologiae Naturalis scriptori-
bus satis explicatum, non potest non cuilibet
planum esse. Actus autem sunt vel interni si-
ve solius mentis; vel etiam externi, qui ipso
quoque corporis motu peraguntur; unde ex-
istit discrimen inter cultum Dei internum &
externum. Ubi de cultu Dei Rationali nos a-
cturos fore promittimus, hoc ipso significamus,

A

no.

49 onetia

nobis propositum esse, non alia proferre, quam quæ ex principiis rationis patescere & probari possunt, adeoque culpam à nobis removemus, quasi occuparemur circa illa, quæ ad forum philosophicum non spectant.

§. II.

Quemadmodum omnes actus humani ex lumine rationis proficisci debent; ita idem de actibus cultum Dei constituentibus omnino est asserendum. Et quidem primum requiritur ad cultum adgnitio existentiae Divinae. Hoc prolixum non eget probatione. Quis enim coleret, quod existere non admittit? Variis modis existentiam Dei adstructum eunt philosophi. §. Alii a priori argumentantur; ut ex recentioribus Christianus Wolffius a possibilitate Entis perfectissimi ad Ejus existentiam concludens. A posteriori maxima pars hanc veritatem demonstrant; quorum argumenta ex unico hoc fonte derivantur; quod mundus ex se ipso esse non potest, adeoque causam agnoscit, necessariam & infinitam. Varias variorum demonstrationes recensere & examinare nostri non est

est institutum. Hoc solum dicimus, pluralitatem demonstrationum certitudini non officere. Sic Theorema Mathematicum, non ideo minus est certum, quia pluribus modis potest demonstrari.

§. III.

10

Essentiam Divinam nemo mortalium persequi valet. Est enim Deus infinitus, homo vero finitus. // Qui autem finitus est Ens in finitum capere nequit. De Deo autem hoc novimus, Eum possidere omnes perfectiones; quod ad Ens infinitum omnino pertinet: atque hæc scientia sufficit ad cultum. Speciatim varia dantur attributa Divina, quorum cognitio cum cultu nexum particularem habet. Ejusmodi sunt omniscientia, omnipotentia, bonitas & justitia. Huc inter opera Dei pertinet providentia. Hæc assumuntur hoc loco, non probantur. In sequentibus vero ubi genesin variorum actuum cultus exponemus, nexus, inter adgnitionem perfectionum Divinarum & ipsum cultum, abunde patefecit.

§. IV.

Hinc vitandi sunt errores, qui cum cultu Divino consistere nequeunt. Tales sunt Atheismus cum existentia Dei religionem omnem negans; 13 Epicuræismus, qui providentiam Divinam impugnat; 14 Stoicismus, qui Deum absoluti cuiusdam fati vinculis constringit; 15 Manichæismus duo principia, alterum bonum, malum alterum constituens. Ut alia præteream ejusdem turfuris opinionum monstra.

§. V.

AD cultum ipsum considerandum convertimus attentionem. Et prout jam diximus illum consistere in variis actibus, ita singulos seorsim spectabimus. Quod adinet cultum Dei internum, de quo primum agendum venit. Illud l: o ponimus in amore. 16 Frustraneum est definire, quæ experientia intima cognoscuntur. Ejusmodi definitiones obscurant magis quam illustrant. Nemo adeo ferreus est, qui neque parentes, neque alios, à quibus beneficia accepit, unquam amavit. 17 Hinc quid amor sit, notitia practica cuilibet constare asserimus. A-

mor

mor dirigitur in bonum. Hinc quum Deus sit summe bonus, per se dignus est, qui ametur, sine ullo alio respectu. Verum, quum tanta nobis contulerit beneficia, ut ad amorem sui nos provocaret, recte quoque facimus, ubi his utimur incitamentis. Existit itaque amor Dei etiam beneficiorum a Deo acceptorum consideratione. Quis vero plura nobis præstitit? Deo animam & corpus & quidquid possidemus boni ferimus acceptum. Quo sapius hæc beneficia meditamur, & quo certior est eorum cognitio, eo intensior Dei amor evadit.

§. VI.

Quem amamus eum offendere nolumus. Sic amor Dei id efficit, ut ab illis, quæ voluntati Ejus contraria sunt, nobis caveamus; atque tum recte dicimur Deum timere. 18 Est hic timor filialis, a timore pœnæ, per justitiam Dei mala moralia excepturæ, diversus, qui servilis dicitur. 19 Timor filialis est fons & scaturigo omnigenæ virtutis, imo non alio instrumento felicitati nostræ certius prospicimus. Vbi enim Deum timemus, voluntati Ejus obsequimur,

mur, & legem servamus. Sed lex Dei pro fine habet nostram felicitatem. Cum timore Dei, conjuncta esse debet profunda quaedam veneratio. Veneramur eos, quos novimus eximiis ornatos esse perfectionibus. Sic veneratione prosequimur viros scientia & virtute conspicuos. Ubi itaque sumus convicti, Deo omnes inesse perfectiones, ²⁰ veneratio Ejus exoritur.

§. VII.

Confidentiae erga Deum in cultu Illitium tribuimus locum. Confidimus illis, quos bene erga nos adfectos esse & facultate juvandi gaudere novimus. Quod Deus bene nobis velit, imo paratus sit, ad nobis largiendum omnia bona, quorum capaces sumus, & quae per sapientiam ac justitiam suam largiri potest, de hoc ex adgnitione bonitatis Divinae convincimur. Status noster & conditio quin Deo perspecta sit, nos dubitare verat omniscientia ad minima quaelibet se extendens. Absurdissimum vero foret cogitare, illum nobis opitulari non posse, ²² qui vastam mundi machinam creavit, & manu sua dirigit ac moderatur; verbo: qui om-
 nio

omnipotens est. Hæc ubi expendimus, exturgit
 in animis nostris confidentia erga Deum, in-
 concussa illa basis veræ ac solidæ felicitatis. Hoc
 fundamento nititur animi tranquillitas, quâ ni-
 hil in hac vita exoptabilius. Hæc in quibusli-
 bet adversis infallibilis panacæa. Neque hæc
confidentia intringitur, ubi bonis malè & ma-
lis benè in hoc mundo succedere nobis visum
 fuerit. *Primo* erramus sæpe in eo, quod illa
 pro bonis habemus, quæ revera talia non sunt.
 Vulgus, & qui supra vulgum non sapiunt, ex-
 terna tantum admiratur, quum alia den-
 tur longe præstantiora. *Secundo* referimus in-
 ter bonos, qui tamen alia in classe forent col-
 locandi, & contra. Multi certe verbis & ge-
 stibus virtutem simulant, à qua tamen sunt a-
 lienissimi. *Tertio* cogitabimus œconomiam Di-
 vinam extra metas hujus vitæ sese protendere,
 & eam quoque ob causam, nobis incompre-
 hensibilem esse.

§. VIII.

Culi confidimus, cum illo desideria nostra
 communicamus. Sed desideriorum cum
 Deo

Deo communicatio est ipsa invocatio. Est itaque invocatio immediata quædam confidentiæ erga Deum sequela. Verum dicas: Ideo aliis, à quibus auxilium expectamus, necessitates nostras aperimus, quia existimamus has alioquin illos latere. Quum autem Deo omnia sint cognita, quid opus est invocatione? Respondemus: 24 Ex eo, quod Deus cognoscit omnia, quæ nobis necessaria & utilia sunt; inde non concluditur invocationem divellendam esse à confidentia, sine qua hæc ne intelligi quidem potest, quippe quum ab ipsa Ejus natura necessario fluat. Ponamus esse fidum animum, qui statum nostrum sibi habet exploratissimum, cum illo tamen de negotiis nostris lubenter conferimus sermonem. Si quid boni expectamus, de hoc jucundè cum illo confabulamur, & ex ejuscemodi colloquio, voluptate quadam adfici-mur. Si quid adversi evenerit, à quo liberari expetimus, vel ex eo, quod pectus exonerare licuit, persentiscimus levamen. Nec aliter cum invocatione Dei se res habet. Certe haud minima felicitatis humanæ est portio, quod

quod & secunda & adverte cum Deo possu-
mus communicare.

§. IX.

Progredimur jam ad considerandum, cultum
Dei externum. Non desunt, qui existi-
ment illum parum necessarium esse, quum in-
timi animi recessus pateant Deo. Verum illo-
rum sententiæ accedere non possumus, & qui-
dem his argumentis permoti. I. Ea est a-
nimi nostri constitutio, ut ubi vehementiori
adfectu exarserit, non possit non motibus ex-
ternis illum prodere, saltem nisi acriori quo-
dam nisu resistit. Atque si affectus motu
externo comitetur, eo magis incalescit. Jam
vero nulla dari potest ratio, cur hæc inclina-
tio sit suffocanda, præcipue ubi ejus exerciti-
um intra limites decori coërcetur, verum po-
tius cum conditione, quam diximus, est for-
venda, in quantum salubri adeo affectui in-
flammando interservit II. Cultus Dei externus
usum habet respectu aliorum, quos ad piam
imitationem potest provocare. II. Datur cul-

B

tus

25

26

tus externus ad promovendum internum institutus, quem necessarium esse dubitari nequit.

§. X.

STatuimus ad cultum Dei requiri cognitionem variarum veritatum, sine quibus consistere nequit §. §. II. & III. & cautelam ab erroribus eidem adversis §. IV. Ad hoc studio opus est ac diligentia, quod nulla indiget probatione præter experientiam. Quidquid enim nonnulli dicant de notitiis innatis, quorum auctoritati nihil detractum volumus; experientia tamen irrefragabilis hoc docet, hominem nisi scientiam rerum divinarum studiose quærat, crassa earundem laborare ignorantia. Ad casus singulares provocare non est necessarium, quum exempla indies suppetant, & omnium populorum historia id satis confirmet. Definivimus Cultum Dei §. I. quod constituatur actibus, qui propter Deum Ejusque perfectiones suscipiuntur. Ergo qui alios veritates divinas docent, ut ad Deum colendum ulterius perducantur, quæ institutio, sine actibus externis fieri non potest, eo ipso cultum peragunt externum. Ob

idem

identitatem rationis idem de discentibus ad institutum suum media externa applicantibus valet. Neque implicat, idem esse partem & medium. Actiones vitales in corpore animali considerari possunt ut partes vitæ, singulæ tamquam sunt aliarum producendarum media.

§. XI.

Probavimus § VI. ad cultum internum pertinere profundam Dei rerumque divinarum venerationem. Sed quem veneramur de illo reverenter loquimur. Hinc colligitur nos de Deo rebusque divinis pie & reverenter loqui debere. Unde sequitur vitandas esse inutiles quaestiones & spinosas disputationes, ubi tractantur divina. Nondum circa eminentis adeo argumentum occupatis jocularia verba adhibere conceditur.

§. XII.

Quem amore, veneratione & confidentia prosequimur, quod de illo Ejusque perfectionibus novimus, non celamus, sed data occasione indicamus aliis, ut perfectiones Ejus pluribus innotescant. Nec moramur, si quis e-

am ob causam aliquid mali nobis intenet, ubi alterum, cui confidimus, longe potentiorum esse perspectum habemus, ut vel illud avertere, vel si quid incommodi nobis evenerit, longe majoribus bonis id compensare possit. Ad cultum internum inter alia statvimus pertinere amorem §. V. venerationem §. VI. & confidentiam erga Deum §. VII. Hinc qui cultu interno Deum prosequuntur, quod de ejus perfectionibus sentiunt non reticent, sed data occasione illud coram aliis confitentur, efficiente adgnitione bonitatis & omnipotentiae divinae, ut quae ideo sibi impendent mala, non reformident. Sic promovent gloriam Dei; consistit quippe gloria in eo, quod excellentes alicujus perfectiones a pluribus cognoscuntur. Atque hinc patet, quod ad cultum externum spectat confessio.

§. XIII.

Diximus §. IX. vehementiores animi affectus signis externis se prodere, & ubi sic eruperint, ardentius inflammari, imo alios inde affici. Haec invocationi externae conveniunt. Per ipsam

ipsam enim constitutionem hominis anima & corpore constantis, & arctissimam utriusque partium unionem fieri aliter non potest, quam ut ubi seria est invocatio interna, externam secum conjunctam habeat. Ex plenitudine enim cordis os loquitur. Nec ulla datur causa, cur natus ejusemodi reprimatur. Nam qui ore pius fundit preces, ejus animus acriori motu eo ipso concitatur. Idem de piis cantilenis valet, sunt quippe & illæ invocationis internæ partim indicia partim fomenta & stimuli. Et quemadmodum ad excitandum in animis hominum varias cogitationes ac motus, non aliud efficacius est, quam quod in sensus incurrit; ita etiam qui alios vident ac audiunt invocationi externæ operantes, hi suæ obligationis commonefiunt, & ad pietatem accendi possunt. Invo- 29
catio autem externa sine interna, est nulla, quod vel ex ante dictis adparet. Hinc errant, qui se Deum colere existimant, ubi certas precum formulas ore solum proferunt, omnis interni motus expertes.

§. XIV.

Varia solent observari circa cultum exter-
 num; quæ ceremoniarum nomine veni-
 unt. Ejuscemodi sunt, quod homines certis
 temporibus, ad certa quædam loca conveniunt
 ad peragendum sacra, quod hos vel illos ri-
 tus observant, & quæ sunt alia. Quum insti-
 tutio quædam de Deo rebusque divinis necessa-
 ria sit secundum §. X. per se patet definiendum
 esse locum ac tempus, ubi ejuscemodi negotio
 est vacandum. Et exigit tranquillitas publica,
 quod hoc fiat in loco quodam publico. Do-
 ctrinæ enim de religione multa continent, quæ
 influxum præbent in vitam civilem; E re itaque
 est, ut publice constet, quid doceatur, ne
 30. sub prætextu religionis tradantur, quæ fini ci-
vitatum repugnant. Quod tempus cultus pera-
 gendi attinet; illud fixum ratio non determi-
 nat, quæ solum docet, sacros hosce actus
 toties obeundos esse, quoties opus est. Quod
 etiam nonnulli dicunt de observatione diei septi-
 mi naturæ lumine manifesta, id nullo nititur
 fundamento. Sit, quod aliquæ gentes diem,
 epti-

septimum observarint, hoc fecerunt ex traditione, quæ ex populo Dei emanavit. Ritibus nulla societas humana carere potest; faciunt quippe ad ordinem ac decus, quorum observatio non potest non Enti rationali conveniens esse. Præterea hoc de ritibus in universum tenendum: sunt & illi actus quidam cultus externi, qui ad internum manuducere debent. Hinc nec alii nec plures adhibendi, quam qui ad hunc finem faciunt. Unde fugienda hic est omnis gesticulatoria levitas, pietati potius contraria, quam ad illam accendendam fovendamque apta. Cavendum quoque a nimia rituum multitudine, qua homines, & præcipue vulgus externis inhians, a cultu interno avocantur. 32 Qui ad hæc principia examinaverit ritus gentilium, & Papistarum, quid de illis sentiendum sit, facile videbit.

§. XV.

POtest etiam homo se obligare Deo, ad agendum vel omittendum, quod agere vel omittere alioquin in Ejus libertate positum erat. Ejuscemodi obligationes votorum nomine veniunt.

unt. Fiunt autem vota, ut per ea, quæ vo-
ventur, vel beneficiorum a Deo acceptorum re-
cordemur, vel commonefiamus officiorum erga
Deum, atque ad observantiam eorum diligentio-
rem excitemur. Atque sic, quum cultum internum
pro fine habeant, sua non carent utilitate.
 Ut autem recte sint comparata, hæc veniunt
 observanda. I. Pro objecto habere debent, quod
 possibile est. Pone enim voveri impossibile, vo-
 tum erit in se nullum. Sic vota Papistarum,
 monastica cordatoribus ideo vapulant, quia
 multi utriusque sexus homines ad perpetuum,
 coelibatum se obstringunt, quum tamen donum
 continentiae non habeant. II. Vota versabuntur
circa licita; quod enim illicitum est, ad hoc
nemo obligari potest. III. Personam voventem
 oportet esse maturi iudicii, ut ejuscemodi ne-
 gotium & quæ ad illud pertinent, intelligere
 queat. Et licet actus vel omissiones, circa
quæ versantur vota, ante erant indifferentes,
post tamen moraliter necessarii evadunt. Fides
 enim est servanda hominibus, multo magis Deo.

§. X. VI.

Cultus quidem Dei Rationalis ad obtinendam salutem æternam prorsus insufficientis est; nescit quippe illa media, quæ Deus ad hoc præscripsit, ex revelatione solum cognoscenda: nihilominus varios eisdemque maximos habet usus. I. Cultus Dei internus insignem portionem felicitatis humanæ absolvit. Patet hoc ex illis, quæ §. §. §. V. VI. VII. de amore, timore & confidentia erga Deum adhibuimus, quod etiam de reliquis actibus cultum internum constituentibus dictum est. Quanta certe hæc est hominis præstantia, quod Deum adgnosceret & familiari quodam commercio cum Ente illo supremo uti potest? II. Cultus Dei veram virtutem progignit & conservat. Quidquid enim nonnulli contendunt virtutem vel sine religione locum habere posse, hoc indubium est, quod parum impediatur, quo minus homo religionis expertus cum aliorum damno suum quærat commodum, ubi persuasus est, vel factum aliis fore ignotum, vel se tanta instructum esse potentia, ut alii vindictæ sint

fiat impares. Atque hujus attentionis veritatem & hodierna & omnis temporis experientia adstruit. III. Cognitio Dei naturalis in religione revelata præsupponitur, ad eamque ducit. Qui enim negat dogmata religionis naturalis, is neque revelatam admittit. Et qui reuelationem non amplectuntur, hi ex principiis rationis primum sunt conuincendi. IV. Cognitio hæc naturæ viribus parata facit ad dignoscendas reuelationes spurias a veris. Ubi enim quis pro reuelatione venditat, quod attributis diuinis, per naturam cognitis aduersatur, eum falsa dicere uel inde concludi potest. V. Cognitio accurata eorum, quæ pertinent ad cultum rationalem inseruit distinguendæ naturæ a gratia, quod quanti sit momenti Theologi docent. Certe ut termini inter utramque regantur, innotescere oportet, quorsum natura perueniat, & ubi deficiat.

Sit soli summo, gloria summa Deo!



Cultus ethicus aliis vocatur mixtus, consistit in eo, quod
Dei actus cum internis motibus conjuncti sunt.
Obi. Deus non opus habet. Resp. Deus auctoritate loquens neq;
interno neq; externo opus habet; est tamen a seipso
suscipitur aliter. Si internus non procedit, quin etiam
in actus externos & q. quando suspiria procedunt et
q. Quicquid forte sumptu Thomae. Dei honor major
quandis sa multis colitur, quam quando a paucis

[Faint, illegible handwriting throughout the page, possibly bleed-through from the reverse side.]

Viro Juveni
Præstantissimo atque Doctissimo
Dn. HENRICO WALLENBORG,
Præceptori fidelissimo,
DE CULTU DEI RATIONALI
erudite Disputanti.

Preceptor solers, cultor pie Castalidumque
Quem studium decorat, morumque polita ve-
nustas,
Multos & vigiles Tibi penset Apollo labores,
Omniaque ex voto Tibi sic felicia cedant!!!

*Affectu quam verbis prolixior
gratulabundus cecinit.*

Johannes Henrius Carlborg.



9

DE HENRICO VALLERBONTO
DE CANTUARIENSIS
EPISCOPUS

Compendium de rebus
quibusdam in
Anglia

Johnnes Henricus Vallerton

